

LVNÆ DIE 14 M. FEBRVARII A. 2005

A.d. XVI Kal. Martias a. MMV

I 2 4

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / glicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

EVROPA ET AMERICA (II)

Post primam huius symbolæ partem divulgatam, restat ut disseramus de causis quibus, præter dechristianizationem, inclinantur gentes stirpis Europææ. ¶ Animadvertiscuntur haec gentes iam non suppleri, cum in Europa tum in America ; sed cur hoc videtur damnosum ? Solum quia eadem una vivunt cum gentibus magis prolificis, quæ aliquando, ratione mathematica frequentiores pedetemptim factæ, rei publicæ habenis potentur. Pauciores liberos gignere in se certe non est damnosum ; in Extremo Oriente, exempli gratia, multæ gentes legibus vetantur ne sint prolificæ ; crescens enim hominum multitudo impedit ne singuli bene alantur edacenturque. Apud multa animalium genera proles augetur vel minuitur pro facultate pullos alendi ; cur homines maiore intelligentia prædicti idem non faciant ? Non possumus simul dolere quod vita fera in mundo damnose disparet et gaudere quod sine fine crescit hominum multitudo. ¶ Apud gentes magis excultas, ut sunt eæ Europææ originis, non sufficit liberos gignere, sed necesse est, ad minimum per duo decennia, hospitium, alimonium, institutionem necnon omnia nostri temporis commoda, utilia vel minus utilia, eis præbtere. Præterea, in regionibus quas incolunt, pauciores in dies homines necessarii sunt ad opera perficienda et ad cibos, vestes omniaque bona producenda ; homines magis magisque supplentur motris, robotis vel ordinatis ; nimius est numerus hominum munere carentium. His recentioribus vitæ condicionibus fit ut multi iuvenes, etiam diplomate nati, munus non inveniant. Quod parentes non incitat ad multos liberos gignendos. ¶ Qualis vivendi modus generi humano exemplo esse debet ? Europæusne, an modus earum gentium ubi feminæ immoderate parere coguntur et ubi pueri vagantur illauti et inculti ? Ipse, ut exemplum afferam, Ægyptum anno 1966 primum perlustravi atque postea per triginta annos complura itinera in illam regionem feci. Intra haec tria decennia Ægypti opes multum creverunt, præsertim propter ingentes cataractas trans Nilum munitas ; inde nascitur magna copia electricitatis atque irrigantur novæ provinciæ frugiferæ. Vitæ tamen condiciones infeliciter immutatae manent ; eadem paupertas, incultus miseriaque populi. Cur immutatae sunt ? Quia singulis annis numerus incolarum augetur plus uno milione. Ineunte vicesimo sæculo duo circiter miliones hominum Ægyptum incolebant ; amplius septuaginta nunc sunt. Antea mortalitas, præsertim neonatorum, compensabat nimiam prolem ; recentius, propter paucos hygienæ curæque progressus Europæorum impulsu factos et propter Americanarum opum auxilium, æquilibrium naturale ruptum est ac longe abest ut mutatio

cultus civilis hoc necessarium æquilibrium restituat. ¶ Aliam causam gentium Europæarum decrescentiæ esse amissionem popularis cohærentiæ recte monet Americanus auctor¹. Huiusmodi enim demissio multis gignit ærumnas : imprimis leges omnibus iam non possunt uniformiter imponi atque institutio scholaris sua tradita fundamenta servare non potest ; præterea periculoso est multis hominibus extraneæ stirpis aliquam dare potestatem, cum non idem ac nos de societate humana sentiant. Patet enim cultum communem singulis humanis societatibus necessarium esse ad suam cohærentiam servandam. Multiculturalismus ergo nihil gignit nisi mala. ¶ Nullum compromissum est possibile ; cultus civilis Europæus, labore genitus intra tria circiter millennia, prævalet ; quod si pro certo non habemus, mores nostros mutare debemus. Nostrates, eadem insatiabili curiositate impulsi ac olim Hellenes, soli totum orbem terrarum exploraverunt, descripserunt, mensuraverunt ; etiam omnes ingentes progressus scientiarum technicarumque generaverunt ; iidem regimen supranationale necnon universale vicesimo sæculo creaverunt ; iidem quoque recentius coeperunt de futuro planetæ Terræ cogitare et angii. ¶ Oportet ergo efficere ut extranei, quos Europæi in fines suos recipiunt, assimulentur ; necesse etiam est ut populi aliis cultibus imbuti, quibuscum artius consociari volumus, fundamenta nostri cultus accipiant et respiciant. Qualia vero fundamenta ? Religiones origine semiticæ, quarum præcipua singularitas est ceterarum recusatio, tot bella excitaverunt, ut ad rem vix pertinere possint. Potius in radicibus nostris Hellenicis inveniuntur haec fundamenta. Qui enim nos docuerunt humanismum, id est personæ humanæ cognitionem, amorem et curam ? Qui nobis monstraverunt pretium libertatis ? Qui nobis suaserunt ut naturales rerum causas potius exquireremus, quam mythicis fabulis crederemus ? Qui nobis exemplum præbuerunt liberæ cogitationis, sine notione creditis et infidelis ? Qui mutationem democraticam in regimen induxerunt ? Qui commentum abstractum invenierunt ? Qui rerum universitatem primi amplecti sunt ? Qui, nisi illi veteres Hellenes ? Haec sunt firma fundamenta cultus Europæi. ■■■

Gaius LICOPPE

1. Srdja Trifkovic, « Europe and America, Identity of decrepitude », in : *Chronicles*, m. Maio a. 2004.

IN ACADEMIA LATINITATI FOVENDÆ

GAIVS LICOPPE SODALIS BENE MERITVS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ



Die 16 m. Dec. a. 1989 inter inaugurationem Domus Latinae. Circa Gaium Licoppe agnoscuntur : Inga Pessarra, P. Cælestis Eichenseer, Tuomo Pekkanen, Thomas Fuchs.

Academia Latinitati Fovendæ (ALF) anno 1967 in Urbe Roma condita quinquaginta habet sodales ordinarios, qui ex statuto (art. 5) esse debent « professores alicuius studiorum universitatis aut professores emeriti, qui studio linguae, litterarum, civilis cultus Latini præstiterint et facultatem habeant constanter et industrie Academiæ operam navandi. » Sodales Academiæ bene meriti fieri possunt ii, « qui ex consulto Coetus Generalis, Consilio Præsidiali proponente, electi, efficaciter adiutricem operam contulerunt ad fovendam navitatem, in quam Academia incumbit, et ad assequenda quæ ei sunt proposita. »

In titulo sodalis bene meriti præcipius honor inest, ut vel ex eo appareat, quod ab Academia condita paucissimi viri præclari in hunc sodalium ordinem cooptati sunt, primum Iulius Andreotti, senator Italicus Romanus, deinde Antonius Capellán, architectus Hispanus Matritensis. Tertius illo honore dignus nuperrime iudicatus est Gaius Licoppe, doctor radiologus Bruxellensis.

Cum Consilium Præsidiale et Coetus Generalis ALF die Veneris 26. m. Novembris a. 2004 in urbem Romam convenient, suadente et proponente professore academico Theoderico Sacré¹ Consilium Præsidiale decrevit, ut Gaius Licoppe, propter egregia et diurna in re Latina merita sodalis Academiæ bene meritus crearetur. Quod decretum Consilium Generale in sessione postea habita unanimiter confirmavit.

Nomine Academiæ Doctori Gaio Licoppe, Academico bene merito, gratulor, ea firma spe adductus, ut ex eius doctrina, scientia longissimoque in lingua Latina defendenda et propaganda usu ALF in suis actuositatibus efficiendis uberrimos fructus capiat.

Helsinki, die 29. m. Novembris a. 2004. ■■■

Tuomo PEKKANEN
Praeses

1. Commendatio professoris Sacré, die 26.II.2004 sodalibus ALF Romæ recitata, infra sequitur.

COMMENDATIO GAI LICOPPE [SCRIPTA IN VRBE, MENSE NOV. A. 2004]

Facile est, sodales, mihi, facile est æquissimo cuique rerum arbitro Gaium vobis Licoppe commendare, nec longe mihi repetenda sunt argumenta, cur virum illum eundemque civem meum dignissimum esse sentiam, qui inter socios bene meritos in hanc Academiam cum laude intret. In bene meritorum, inquam, ordinem mihi ille a vobis videtur promovendus ; huius enim Academiolæ socius ordinarius, licet Latine sit peritissimus, statuto tamen vetante fieri vix potest, non quo doctoris ille munere non fungatur sitve ante rudem sibi donatam functus (nam diu in studiorum universitatem Bruxellensem invitabatur qui prælectiones ibi haberet), sed quia non philologæ ille quidem classicæ, verum medicinæ est doctor radiologiæ (quam vocant) scientissimus. At prodiit Gaius e Iesuitarum disciplina, apud quos Latinitate imbutus est non mediocriter. Hinc, cum medicinæ studia absolvisset atque arte Hippocratica victum querere cœpisset, miro sermonis Latini, quem adulescens penitus didicerat, amore tanto pere est correptus, ut eiusdem sermonis fautor, patronus, defensor, propugnator, Mæcenas, ut ita dicam, evaserit is, qui vel in patria mea, vel tota Europa pares habeat paucos, superiorem, nisi fallor, neminem. Amplius viginti sunt anni cum virum his oculis Bruxellæ primum vidi, primum cognovi ; quicum, id est Belga cum Belga, numquam sum collocutus nisi Latine. Etenim expedite ille ac prompte necnon emendate verba facit Latina ; immo linguæ huic nostræ adeo favet, ut quotiens philologos classicos conveniat (convenit autem sæpe numero), Latine eos compellare soleat eosque humane iubeat Latina loqui : quia eum demum virum Latina non nescire sentit, qui voces etiam possit ipse sive Romane emittere sive hoc sermone prolatas intellegere. Nec voce tantum viva Latinitatem colit Gaius ; siquidem calamo etiam pro ea strenuus pugnat, quippe qui, ut cum veterum thesaurorum hostibus Latinique sermonis inimicis decertaret, commentationum sibi Latinae conscriptarum agmen magnum eduxerit in aciem. Mitto quod Gai Cæsar is Gaius Licoppe scripta memoriter tenet, mitto quod assiduus est in legendis litterarum auctoribus Latinis sive veteribus sive recentioribus. Maiora enim habeo quæ afferam. Nam, qui eius est erga sermonem nostrum amor, ante hos viginti annos suis ipse pecuniis MELISSAM condidit sive commentarios Latinos Europæave folia Latinitati fovendæ. Quid ‘condidit’ dico ? MELISSÆ enim moderator adhuc præest,

MELISSAM eam suis lucubrationibus ornare et ditare pergit. His igitur commentariis cultum civilem Europæum defendit, cuius pars haud exigua fundamentis nititur Græcolatinis ; in his sæpe suadet ut studiorum Latinorum rationes, quæ nunc vigent, ad hodier nos usus accommodentur atque ad ceteras linguas proprius accedant ; in his denique pro sua eruditione multiplici et doctrina de omni fere re scibili proponit ea, quæ virum liberaliter educatum cognoscere deceat. Quæ MELISSA his quattuor lustris mella tam dulcia protulit, ut in eo commentariorum genere aut alterum post LATINITATEM Vaticanam, aut tertium post VOCEM LATINAM Saraviensem facile obtineat locum, ad nitidam autem vestem typographicam respicienti palmam ipsa ferre videatur. Accedit huc quod Gaius alii etiam rationibus, subsidiis, opibus Latinitatem refocillando fovet ; atque obid ipsum opus ab ipso est fundatum, quod eodem Melissæ nomine gaudet. Namque Gaius tirones quosdam in domo Erasmiana, quæ est Bruxellæ, Latine docet, cœtum quendam Latine colloquentium fundavit suisque laboribus stabilivit, et seminaria, quæ vocantur, Latinitatis vel in patria mea vel peregre habenda instituit et rexit. Nec possum Domum illam Latinam silentio præterire, quam in ipso civitatum Europæarum meditullio suis sumptibus condidit, rem dico miram atque fere inauditam. Ceterum nullum ille orbis terrarum recessum non exploravit, qui cultus civilis Græcoromani reliquias oculis lustraret ; nullam fere totius orbis partem non adivit ut vel seminariis vel conventibus interesset, reperiretve quibuscum suum Latinitatis patrimoniique Romani studium communicaret.

Aut ergo Gaius Licoppe Latinitatem fovet, aut nemo fovet. Quod cum ita sit, enixe a vobis peto, sodales, ut civem hunc meum in hanc Academiam cooptetis. Quod si feceritis, fiet (mihi credite) ut viri illius iudiciis et sententiis sanis admodum, necnon opera et navitate industria non mediocriter adiuvemini, et ut ipsa hæc nostra Academia Latinitati Fovendæ magnum inde capiat fructum. ■

Theodericus SACRÉ

BEATRIX ET EIVS AMICI (I)

SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– *scripsit Francisca Deraedt –*

Historia scriptorum est res prorsus miranda. Cur illud perditum sit, cur hoc miraculose servatum, res saepe pendet a minimis rebus, aut a condicionibus exteris. Ita manuscriptum, e quo manat haec narratio, ad nos verisimiliter non pervenisset nisi eius auctor decem fere annis post rem conscriptam Avennione creatus esset papa Benedictus XII nomine, pretiosasque tabulas suas illuc portavisset, unde postea Romam translatæ sunt in Bibliothecam Vaticanam.

Iacobus enim Fournier, humili loco natus, monachus Cisterciensis, egregium habuit cursum : doctor universitatis Parisiensis, abbas monasterii Fontis Frigidi (*Fontfroide* in Occitania), anno 1317 creatur episcopus Appamiensis (*Pamiers*). Inquisitionem regit in eodem episcopatu, postea fit episcopus Mirapiscensis (*Mirepoix*), anno 1327 cardinalis, papa anno 1334. Obiter notemus illum papam fuisse « maculistam », ut aiunt, id est respuisse notionem Immaculatae Conceptionis, quod dogma multis interiectis disputationibus anno demum 1854 pronuntiatum est a papa Pio IX.

Iacobus Fournier manifesto natus erat ut fieret inquisitor. Tale munus bene congruebat cum eius indele præter modum sedula. Itaque cum eius antecessores hæresin, quæ in Occitania tunc temporis pullulabat, non nimium curarent, ipse contra suum statim instituit tribunal Inquisitionis ut, communiter cum Ordine Predicatorum, bonos catholicos distingueret ab hæreticis catharistis. Haec inquisitio incohata est anno 1317, anno 1325 finem habuit.

Non tam facile segregatur bonum semen a zizaniis. At episcopus Appamiensis, qua est interrogandi peccitia, hoc perbene facere scit. Cum alii inquisitores, paulo neglegentiores, officium suum notariis libenter delegent, ipse, ad insaniam diligens et attentus et curiosus, omnibus adest sessionibus, reos assidue interrogat, omnia, omnino omnia sedulo detegit de suarum victimarum anima. Rei autem, ab inquisitore callide rogati, raro (sed tamen nonnumquam) cruciati, vitam suam longe lateque narrant, satis ingenue, modo saepe infantili, nescientes, ut sunt homines simplices, quid ad rem pertineat, quid minus. Sic omnia vel minima paulatim patet : quomodo hi homines vitam sustentent, quid comedere soleant, quales texant sermones unus alterum invicem expediculantes¹, et eorum amores, et gaudia, et timores... Inquisitor eorum verba accuratissime curat litteris consignanda. Inde relatio usque adhuc servata, quæ nostra hodie potissimum interest : nam haec confessiones mirum in modum illustrant illius temporis vitam cottidianam. Quam historicus Emmanuel Le Roy Ladurie, manuscripto Vaticano nixus, crasso libro egregie descriptis², nobis quasi ante

oculos ponens miseros ab inquisitore tunc temporis interrogatos.

Qui autem fuerint cathari, operæ pretium est saltem breviter compere, cum omnes homines, quibuscum consuetudinem sumus iuncturi, eorum doctrina sint plus minusve imbuti. Catharorum³ hæresis videtur initium exeunte decimo sæculo cepisse in Bulgaria. In Asiam et Europam paulatim diffusa est, sed Francogalliae maxime tenuit partem meridionalem. Ibi etiam vocantur Albigenses, propter urbem Albiam, quæ fuit una e sedibus eorum. Bernardus Guidonis (c. 1261-1331), Ordinis Predicatorum et ipse inquisitor, in opere *Practica officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis inscripto*⁴ longe describit errores illorum « Manicheorum moderni temporis ». De eius explicacionibus excerpamus haec nonnulla.

« Manicheorum⁵ itaque secta et hæresis et eius devii sectatores duos Deos aut duos Dominos asserunt et fatentur, benignum Deum videlicet et malignum, creationem omnium rerum visibilium et corporalium asserentes non esse factam a Deo patre cælesti, quem dicunt Deum benignum, sed a diabolo et Satana, malo Deo, quia ipsum vocant Deum malignum et Deum huius sæculi et principem huius mundi. Sicque duos ponunt creatores, Deum videlicet et diabolum, et duas creationes, unam scilicet rerum invisibilium et incorporalium et alteram visibilium et corporalium.

« Item, duas configunt esse ecclesias, unam benignam, quam dicunt esse sectam suam, eamque esse asserunt ecclesiam Iesu Christi ; aliam vero ecclesiam vocant malignam, quam dicunt esse Romanam ecclesiam, eamque impudenter appellant matrem fornicationum, Babylonem magnam, meretricem et basilicam diaboli et Satanæ synagogam. (...) »

« Item, omnia sacramenta Romanæ ecclesiæ Domini Iesu Christi, videlicet eucharistiae seu altaris ac baptisimi qui fit in aqua materiali necnon confirmationis et ordinis et extremæ unctionis et pænitentiae ac matrimonii inter virum et mulierem, singillatim et singula asserunt esse inania atque vana. Et configunt, tamquam simiæ, quædam alia loco ipsorum, quæ quasi similia videantur, configentes loco baptismi facti in aqua baptismum alium spirituale, quem vocant consolamentum Spiritus Sancti, quando videlicet recipiunt aliquam personam in sanitate vel in infirmitate ad sectam et ordinem suum per impositionem manuum secundum ritum suum exsecrabilem. (...) »

« Item, incarnationem Domini Iesu Christi ex Maria semper virgine negant, asserentes ipsum non habuisse verum corpus humanum nec veram carnem hominis

sicut habent ceteri homines ex natura humana nec vere fuisse passum ac mortuum in cruce nec vere surrexisse a mortuis nec vere ascensisse in cælum cum corpore et carne humana, sed omnia in similitudine facta esse.

« Item, beatam Mariam Virginem negant fuisse veram matrem Domini Iesu Christi, nec fuisse mulierem carnalem, sed sectam suam et ordinem suum dicunt esse Mariam Virginem, id est veram pænitentiam castam et virginem quæ generat filios Dei, quando recipiunt ad eandem sectam et ordinem.

« Item, resurrectionem corporum humanorum futuram negant, loco eius confingentes quædam spiritualia corpora et quendam interiorem hominem, in quibus et qualibus dicunt resurrectionem futuram esse intellegendam.

« Prædictos errores et complures alios, qui ex eis necessario consequuntur, tenent et credunt et dogmatizant ; et nihilominus, palliatis verbis et vocabulis, prima facie videntur inexpertis hominibus et laicis confiteri veram fidem. »

Hæ ergo sunt catharorum præcipuæ persuasiones. Quæ in hominum mentes ita gradatim furtive irreperrunt, ut mox integri vici hæresi occuparentur. Hæc ipsa fuit condicio cuiusdam parvuli vici, in quo tempore Inquisitionis ducenti fere homines vivebant, sub finem vero eiusdem sæculi, dimidia parte peste belloque extincta, vix amplius centum. Hic autem vicus, Mons Alionis (*Montaillou*) nomine, situs est sub radicibus Montium Pyrenæorum, in regione Aurigera vocata, inter Tolosam et Perpinianum. Ibi quarto decimo sæculo vixerunt Beatrix castelli domina, Petrus parochus mulierosus, Grazida uxor Petri Licerii, odiosus Belibasta, Bernardus pastor miser, alii etiam beneficio Iacobi Fournier nobis adhuc optime noti, ut extraordinarium teneamus testimonium de hominibus, quibus illis difficultibus temporibus fuit vivendum. Eos mox una cognoscemus. ■


1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, Parisii, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, III, p. 369 : « expiducare se, pediculos eximere ». Vocabulum non est antiquum, videlicet quia homines antiquitus multo mundiores erant nostris recentioribus atavis.

2. E. Le Roy Ladurie, *Montaillou, village occitan de 1294 à 1324*, Paris, Gallimard, 1975, secunda editio 1982. Manuscriptum Iacobi Fournier editum est a Iohanne Duvernoy : *Le Registre d'Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol. Inde excepta est imago, quæ hic ostenditur. Gratias multas ago Annulæ Castillo, quæ me adiuvit ad hanc editionem inveniendam.

3. E Græco καθαρός, purus. Cfr C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, Parisii, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, II, p. 225 : « propter munditiam ita se nominaverunt : gloriantes enim de suis meritis, negabant pænitentibus veniam peccatorum, viduas si nuberent, tamquam adulteras damnabant, et mundiores aliis se prædicabant ».

4. Bernard Gui, *Manuel de l'Inquisiteur*, édité et traduit par G. Mollat, Paris, Les Belles Lettres, 1964.

5. *Practica officii Inquisitionis hereticae pravitatis*, I, 1. Textum in eo solum mutavi, quod orthographiam restitui nobis usitatam.



O TEVBNERIANA LATINITAS !

- *scripsit Theodericus Sacré -*

¶ « Isocratis orationun una et viginti supersunt, quamvis multæ ferebantur in Plutarchi ætate. Re vera, Plutarchus memoravit sexaginta, quarum auctores Cæcilius viginti octo et Dionysius Halicarnassensis viginti quinti agnoverunt. » [vol. I]

¶ « Multa scripta sunt a recentioris philologis (...). » [ib.]

¶ « Omnia codicum veterissimus est Urbinas III (= Γ) in novo aut decimo sæculo descriptus. Is codex adseratur nunc in Bibliotheca Apostolica Vaticana. Putatus omnium codicum Isocratis optimum esse (ut veterissimum) præiudicabatur in multis Isocratis editionibus specialiter post editionem Bekkeri anno 1822. (...) Sed vehementer dicendum lectiones eius codicis non esse « bonas » a priori vel « minus bonas » vel « malas ». Philologus est locuples investigare quamque lectionem genuinam esse. » [ib.]

¶ (*Proponitur stemma codicum*)

« A (capitale Græcum) = codex autographus, ipsa manu Isocratis (vel discipuli ejus) scriptus, peritus (descriptus in sæc. iv a.C.).
a (parvum græcum) = archetypum textum ; codex privignus communis traditionis ; conscriptus in sæc. ii a.c. ; atque peritus. » [ib.]

¶ (*De codicibus, editionibus, versionibus*)

Ea principio didita est late gratia hominum doctorum, qui vitam agebant in diversis partibus Europæ, i.e. procul a patriæ servitutis, itaque liberi accipere præcepta Europæ renatae. » [ib.]

¶ « (...) in seculo duodevicesimo, qui feracissimus in litteris erat. » [ib.]

¶ « Scio rera aliquot catalogi explenda esse, quod non potui accessum habere in totis locis manuscriptorum aut quod proprii catalogi non dant quæsitam scientiam. Ita orationes non definitæ a vocabulo OPERA indicatae sunt. » [ib.]

¶ « Studiosos scholios adnotationes includunt (...). » [ib.]

¶ « Coræs etsi medicinam studuit, sed dotatus erat philologus. » [ib.]

¶ « (...) eo tempore quo papyri scripti erant (...). » [ib.]

¶ « Quamobrem novum fundamentum Isocratis operibus edendis præberunt. Sed quod oportuit esse id placnum ? » [ib.]

¶ « Opus suum utique ad Isocratus textum edendum maximi momenti fuit atque mihi maximæ utilitati. » [ib.]

¶ « (...) in Bibliotheca Nationalis Florentiæ adservatur. » [ib.]

¶ « 1445 (circa) Bartholomeus Facius, *Ad Nicoclem* in vulgata lingua e Latino textu B. Iustiani ; præmium in latinum, dedicata Ferdinando Calabriæ duci. » [ib.]

¶ « 1577, Joan Lady Lumley (obiit anno 1577), *Isocratis Archidamus*. Oratio translata in Latinum et donata suæ patri Henry Fitz Alan, comiti in Arundel. (...) Textus non est autographum. » [ib.]

¶ « Codex Urbina III (= Γ) videtur esse omnium superior, sed non potest constitutum esse optimum, qui non est digredior ab appertis erratis. Tamen is codex fundamentum eius editionis decet contemplari. » [vol. II]

¶ « Ubi vocabula ὄντος, ἔκαστος, ἅπας et πᾶς sequuntur a formis articuli constituentis dictiones ut e.g. ταύτην τήν, ἀπάντων τῶν et sim., ordinem verborum mutavi, quam possit effugiere repetitionem eiusdem syllabæ, sicut secutus Isocratis principium quod non licet finire incipereque ab eadem syllaba. Finalis -ν in verborum exitibus -σιν et -ιν usa est, quoad sequatur vocalis aut sit punctum. Ea est regula secuta ab librariis codicis Λ. » [ib.]

¶ « Denique vellem gratias agere editoribus præcessis et generaliter eis doctis hominibus, qui occupati in Isocratis orationibus dederunt multa substantivaque subsidia cuidam vellet quærere de Isocratis operibus. » [ib.]

¶ « Sed inclinavi ad accipendo lectiones codicis Λ (...). » [vol. III]

¶ « Sed idem non conservavi indeclinabiliter quoad quæque condicio desiderat propriorem usum. » [ib.]

¶ « Encliticus accentus usus est in codicibus ut scriba velit. » [ib.]

¶ « In aliquibus locis restitui contextum pro meo iudicio. Sed non potest totos locos inclusos hiatum curari, specialiter post diphthogum *ai* (in *kaí* et in verborum fine *-ai* (...). » *ib.*]

¶ « Instrui apparatus criticus orationis *De permutazione* secutus quædam principia, quæ credo utilia esse indicata hic. Primo notavi lectiones codicis E (aut Δ), quum hæ lectiones differentur illarum codicis Γ , qui-dem E est solus qui tradit integrum textum huius orationis, et quum hæ lectiones confirmant illas codicis Γ reliqui a ceteris codicibus. » *ib.*]

Hæc monstra e pluribus selecta inveniuntur in recentissima operum Isocratiorum editione, quam Bibliotheca illa scriptorum Græcorum et Romanorum Teubneriana¹ sibi filiam, ut sic dicam, nuperime (anno MMIII) adoptavit ; plura tute, lector, cum scateant eis volumina illa tria, ipse facile venabere ; quibus deprehensis ipse diiudicabis utrum rideas an stomacheris. Evidem, quod ad me attinet, ad nævos, quos primos offendit, risi ; cum errores paulo graviores mihi venerant obviam, cachinnum sustuli ; idem vero, cum fœdissima sese ultro mihi obtulerant menda eaque denso agmine in paucis paginis stipata, cumque sententiæ intellectum prorsus effugientes in oculorum aciem mihi occurrerant, volumina indignabundus proieci atque obiratus. Fuit ergo tempus, iam fuit, inquam, tempus, cum præfationes Teubnerianæ Romano sermone insignirentur atque eleganti admodum Latinitate. Quas eo consilio plerumque operibus præmittebant editores, ut qui essent præcipui textuum a se editorum testes sive codices manu scripti sive libri typis excusi facerent palam quibusve præceptis in eisdem operibus edendis obtemperavissent dilucide ostenderent. Cur Latine exararentur ea proœmia, hæc (nisi omnia fallunt) fuit causa, quod is sermo immutabilis quamvis multi elaberentur anni nihilominus a philologis undeliber oriundis absque ambiguitatibus intellegi perrexit, præsertim cum eadem fere verba, artis edendi propria atque intellectu satis facilia satisque certa atque fixa fere semper adhiberentur. Atque editiones illæ quidem Teubnerianæ (amplius centum quinquaginta anni sunt ex quo in publicum emitti sunt cooptæ) pro monumentis ære perennioribus diu sunt habitæ atque id quidem iure optumo. His vero temporibus ab equis plane ad asinos, ut aiunt. Nam exempla, quæ heic attuli, luce clarius demonstrant esse viros palæophilologiæ dubio procul peritos, sed usu sermonis Latini rudes, quin immo adeo rudes, ut imperitiam suam ne ipsi agnoscant quidem. Non hæc temere effundo, nec quo

Isocratis editorem illum increpandum censem, quod vivum mortuæ linguæ usum ignoret, quove rusticum virum litteras nescire vel Græce propterea rudem esse sentiam, quod Latine scribere nequeat. Ita me dicament, si hoc numquam ita esse sensi. Quod cum ita sit, non tamen asini est umbra quam hic attingo. Nam illud me movet, quod qui ad editionem eiusmodi se accinxit, non ignarus Latinam sibi præfationem esse rei præmittendam, non umquam audivisse videtur illud 'sutor ne supra crepidam'. Quodsi munerus sui dignitatem observasset ille vir Isocratius neque philologi nomen nihili pependisset, texendæ eiusmodi præfationi imparem sese agnovisset conlegamque nescio quem in auxilium advocasset, quippe quem non fugisset res tam turpes non esse divulgandas atque imminere periculum ne qui asininum procemium exaravisse visus esset, asinam quoque editionem evulgasse diceretur. Neque illud, ut vere fatear, minus mihi bilem movet, quod Bibliothecæ Teubnerianæ custodes quam foeda sit res ea prorsusque indigna non viderunt. Quid autem inde sequitur ? Coniecturam de re ut faciam, non levem tamen esse puto : timeo enim ne nullum sit in ædibus Sauriis conclave, in quo præparandis, recensendis, limandis editionibus insudent correctores, neque non præsto sint eis editoribus philologi academicici quos in auxilium advocent. Quæ res si ita se habet, Bibliothecæ illius præpositis præfectisque vehementer suadeo ut usum sermonis Latini quam primum abi-ciant, aboleant, funditus tollant, iubeantque editores Anglico, Gallico, Theodisco, Italico, Hispanico uti in præfationibus. Nam qui nunc rerum est status, pudendum istud ut ipsis Bibliothecæ eius custodibus, ita editoribus singulis profecto est opprobrio. Huc accedit quod id genus præfationes, cum multis locis ne intelligi quidem possint, omnino sunt supervacaneæ, quibus non solum nemo homo adiuvatur, sed confusæ doctrinæ inconditum modo simulacrum elicitor ac temere excitatur.

An rara non sit avis ista Isocratis editio dicam an præfatio foeda ac turpis, haud equidem scio ; nam non vacat mihi libros, qui intra hos quinque annos ab hæredibus Teubnerianis in lucem sunt emissi, singulos universos perlegere. Illud vero certo affirmare ausim, alterum reperiri in eiusdem bibliothecæ pluteis volumen quod, ut cum Martiale dicam, meret ut cordylas madida tegat papyro vel turris piperisve fiat cucullus ; atque eo quidem volumine continentur Iacobi Baldi, poetæ divini, cuius memoria revolutis ab ortu sæculis quattuor hoc anno passim celebratur, epodon liber, anno MMII publici factus iuris. Et heic claudicat editoris præfatio. Nam verba parum apta interdum usurpantur

(unde confusio quædam hic illic oritur), verborum ordo nonnumquam admirationem mihi movet, oratio interdum inquinata est atque in grammaticam peccat – nam, ut exemplum ponam, hanc editor procemio coroni dem appinxit :

¶ « Hæc habui de Iacobi Balde librum eponon a me editum quæ dicerem » (p. XVII)

Cetera quæ sunt eiusmodi afferre facile supersedeo ; quamquam, ingenue confiteor Latinitatem magis redolere hoc procemium, cum Isocratum istud solecismis ac barbarismis tantopere scateat ut sermonis Latini formam vix adumbrare valeat. Hæc vero præfatio (Baldeanam dico) ineptiis rebusque futilibus intollerabiliter abundans verbis minus peccat quam rebus. Nam editor, cum vix quicquam habeat quod de præceptis dicat in Baldeo edendo observatis, ad pagellas nonnullas, nisi fallor, implendas late nimisque generatim ac parum docte disserit de argumentis Baldeanis deque poetæ illius genere dicendi. Sunt ea autem puerilia quæ de eloquentia strictim memorantur, prorsusque viro docto indigna quæ de ipsis carminibus exponuntur. Nam non solum alia attinguntur, alia nescio qua de causa omittuntur, sed absurdæ fere de eponis quibusdam afferuntur (putes a tirone scripta, postquam primoribus labris litteras recentiores gustaverit) :

¶ « Verumtamen hodie a nobis quartus decimus eponus vix tolerari potest, qui populum Iudæorum modis tætris foedissimisque detestatur et opiniones Iacobi Balde ætatis falsas indicat. »

(Nonne eodem iure scripserit veterum editor de nobilioribus quispiam Catones Tulliosque odio nobis esse debere quod mancipia sibi ære pararint ?). Posteaquam ergo oleum operamque perdidimus dum has pagellas XVII perlegimus, festinamus ipsa carmina evolvere ; atque acumen editoris atque diligentiam admiraturi apparatus criticum etiam adimus. At hercle, multæ ibi quidem litterulæ coacervantur, suntque infimæ paginæ fere singulæ universæ multis signis refertæ : euge, sophos ! Nihil vero, verum si quærerimus, nihil fere afferri nobis videtur quod memoria sit vere dignum, nihil fere quod ad textum constituendum vere sit utile necessariumve. Sint editiones quædam quæ pro ‘u’ habeant ‘v’ exhibeantque ‘sæuitur’ pro ‘sævitur’, sint quæ accentibus donent syllabas coniunctioni copulativæ ‘-que’ præmissas (‘Sertaque’ / ‘Sertaque’), sint quæ adverbia accentibus manifestent (‘Avidè’ / ‘Avide’), sint quæ verba alia grandioribus,

alia minoribus litteris reddant (‘FILIA’ / ‘Filia’) , sint quæ nota ‘&’ pro ‘et’ adhibeant, sint quæ Ramisticis quæ vocantur litteris scribant voces quasdam (‘Majore’ / ‘Maiore’) : quid hoc ad me ? Immo quid hoc ad textum primigenium constituendum (nam hic est editionis criticæ finis) ? Etenim sæculis XV, XVI, XVII eiusmodi minutiae haud iuxta scriptorum ipsorum iussa typis excudebantur, verum ex typographorum arbitrio in eiusmodi rebus aliquanto neglegentiorum imprimebantur. Quid multa ? Cum in editionis huius Baldeanæ apparatu critico præter has quisquiliis nihil fere representerim cognitu dignum, sitque præfatio talis, qualem paulo ante dixi, sic equidem censeo, quoniam pro doctrina exhibetur ibi simulata quedam doctrinæ adumbratio, librum non fuisse in Bibliothecam Teubnerianam accipiendum. Ceterum editores ædibus Sauriis præfectos incusandos esse, quod unius lucri causa aut censoribus correctoribusque valedixerint aut libros infra suam dignitatem positos nullo rubore suffusi emiserint. Proinde caveat philologi ; nam periculum est ne in ea denuo incidamus tempora, quæ altero egeant Laurentio Vallensi, qui bellicum canat facundæque studiosos e superiore adhortetur loco ut ne patiantur Latinitatem a barbaris opprimi – nam exaranti mihi has pagellas sæpius ante oculos obversabatur etiam invito procemium illud in *Elegantias linguae Latinæ* scriptum, non quod esset ea præfatio omnibus suis numeris perfecta, cum Teubnerianæ recentissimæ essent quodammodo deformes, sed quia quæ ille de millenio (quod dicunt) tenebrarum non sine lacrimis est questus, ea, nisi valde ac vehementer repugnetur, ad nostram quoque ætatem spectabunt propediem. ☩

1. Cfr. Antonius Garzya, ‘Il contributo della casa editrice Teubner alla scienza dell’antichità’, in Antonio Garzya - Marcello Gigante - Iohanne Polara, *Omaggio a B.G. Teubner. Un grande editore e gli studi classici*, Radici (Napoli, 1983), pp. 13-39.

DE QVARTO CARMINE BVCOLICO VERGILIANO (I)

- *scripsit Iohannes van Kasteel* -- *Habuitne Virgilius lapidem?*

- *Non solum ipse habuit lapidem, sed multi philosophi babuerunt eum et scripserunt de eo multifariam, obscuris nominibus et multis operationibus.*

Marsilius Ficinus

I. INTRODVCTIO

Commentarius quem infra proponimus de quarto carmine bucolico Vergilii vult esse *traditionalis*, id est consentaneus modo ab Antiquis *tradito* cogitandi, scribendi, explanandi. Non ergo nova dicemus, licet multa videantur ignota, inaudita, oblivione obruta.¹

Eadem causa sæpe proferemus sententias eorum philosophorum Mediae Ætatis et Renascentiæ qui manifeste continuaverunt et conservaverunt res traditas; quos qui ignorare vult, nihil coarguit nisi ignorantiam suam.

Etiam etymologiæ vocabulorum *traditæ*, non modernæ, accurate nobis observandæ erunt, quia nullus scriptor antiquus magis eis incumbuisse videtur quam Maro. Nihil omnino interest scire num approbentur a Modernis; iterum iterumque dicere oportet eas approbari ab Antiquis. Nonne Vergilius erat discipulus et Varronis et Nigidii Figuli, quos Gellius extulit « viros Romani generis doctissimos »², « doctrinarum autem multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columnæ »³? Qui de vocabulorum originibus plurima scripserunt. Num est mirum quod, inter omnes scriptores quos memorat Isidorus in *Etymologiis* suis, Vergilius multo sæpissime in testimonium invocatur?

II. SICELIDES MVSÆ PAVLO MAIORA CANAMVS (v. 1)

Sicelides invocantur Musæ, quippe quæ sunt humillimi generis poetici, id est bucolici, quod in Sicilia inventum esse traditur, sicut et comœdia, incitante Thalia, minima ex novem sororibus. Cuius nomen derivatum est a Græco θαλά, *virga, suboles*; θάλλειν, *virescere*.

Prima Syracosio dignata est ludere versu nostra, neque erubuit silvas habitare Thalia⁴.

Illa enim Musa comica dat mysteriis faciem quæ risum suscitet. Nos docet Poeta eam *silvas* habitare *non erubuisse*, quod alludit ad aspectum rudem *primaæ* materiæ quæ revera in antris silvestribus invenitur. Raimundus Lullius (in *Theoria*, capit. III) sic loquitur: « Quare si istam quæris materiam... per alios philosophos fuit *forestum* vocitata, compa-

rando eam rei grossæ et crudæ⁵... » Thalia (...) de philosophiæ secretis dicebat *viridia* et immatura⁶.

Si canimus *silvas*, *silvæ* sint consule dignæ (v. 3).

In quarto igitur carmine agitur de re quasi viridi et immatura, id est adhuc parva et humili et nova, nascenti, incipienti, ineunti, surgenti: *nascitur ordo* (v. 5); *nascitur amomum* (v. 25); *nascitur puer* (v. 8); *incipit parvus puer* (vv. 60 et 62); *incipiunt menses* (v. 12); *initævum* (v. 11); *surgit gens* (v. 9); mittitur *nova progenies* (v. 7); adgreditur *soboles* (v. 49). Imminentem esse rem satis demonstrat abusus adverbii *iam*: *iam* venit ætas (v. 4); *iam* redit Virgo (v. 6); *iam* demittitur progenies (v. 7); *iam* regnat Apollo (v. 10); *iam* fecerit ætas (v. 37); *iam* aderit tempus (v. 48)⁷...

Ex quibus appetet puerum nascentem stricte associari ad mundum « quasi renascentem »⁸. Nam post invocationem Musarum (vv. 1-3) et vaticinationem summatis factam (vv. 4-17), Poeta minutatim narrat, puero adhuc in cunabulis iacente, ceteras res naturales videri humiles: tellurem *prima fundere munuscula*; capellas, id est *parvas capras*, leones metuere *nec magnos*; ceterum inveniri *herbas* necnon *flores* (vv. 18-25). Deinde, puero crescente, paulatim apparere *frumenta* et *fructus* (vv. 26-36). Denique, illo viro facto firmæ ætatis, *omnem ferre omnia tellurem* necnon homines videri *robustos* (vv. 37-45). Talia esse sæcula nuntiata (vv. 46-47). In ultimis versibus, gaudio rerum venturarum captus, Vates puerum ad incipiendum hortatur (vv. 48-63).

Quia ergo « non omnis arbusta iuvant humilesque myricæ » (v. 2), fiant ex parvis magna omnia: *magnum fiat Iovis incrementum* (v. 49); *magnos adgrediatur honores* (v. 48); *magni procedant menses* (v. 12); *magnus renovetur ordo sæclorum* (v. 5). Tum ne Orpheus quidem, adiuvante Calliopea, maxima novem sororum et Musa *summi* generis poetici, id est heroici vel epici, ipsum ingenium Poetæ adultum vincat (vv. 55-57)!

Qua de causa Poeta scribit se « paulo maiora » canturum esse, id est non, ut multi volunt, rem paululo maiorem hic quam in ceteris bucolicis, sed *a paula* parva et humili paulatim crescentem in *multo* maiores.

Hanc, quia parva venit, nullus qui spernere tentet !
Nam magna in parvo munera ferre solet.⁹

III. DE PVERO PHILOSOPHICO

Puero vix nato, ubera *lacte* distenta ferunt capellæ (vv. 21-22). « Quid enim est aptius infantibus lacte¹⁰ ? » Inde crescit puer antequam nutritur alimentis solidioribus, scilicet pane, uvis, mellibus (vv. 28-30), donec *firma* *virum* *fecerit* *ætas* (v. 37) et ipse factus sit *robustus* (v. 41).

Vergilius semper, ut scitur, poetice loquitur « secundum philosophorum altam scientiam »¹¹. Dicitur in illa vetere *Turba philosophorum* :

... Puer nutritur et lacte alitur donec creverit. Postea ei dantur potiones omnis generis ad bibendum et omnes carnes ad edendum, ut maior fiat et fortior ossibus, nervis, venis et sanguine. Hæc eadem in opere nostro fiunt, si bene intellegas.¹²

Item dicit Guillelmus Parisiensis (XIIIi saeculi) :

In pueri creatione, primum fit commixtio duorum spermatum... Idem fit in arte nostra.¹³

Item Raimundus Lullius (XVIi s.) :

Fili, quando tu volueris incipere aliquod opus beneficio nostri magisterii, tu debes scire prius qualiter humana natura procedit ; et secundum processum illius tu similiter te debes habere in tuo opere. Fili, processus generationis humanæ est iste...¹⁴

Item Kalid (XIIi vel XIIIi s.) :

Quia sic a principio conceptionis usque ad nativitatem infantis quilibet planeta suo loco dat imaginem, virtute divina sic creante, ita in omnibus operibus alchimicis quilibet planeta suo loco facit imaginem usque ad complementum operis ; et tunc nascitur alchimia artificiose.¹⁵

Item commentator poematis cui titulus *Lux omniblata suapte natura refulgens* (XVIIi s.) :

Eo modo nos docet auctor ut post primum nutrimentum fortiorum faciamus puerum novis alimentis, sicut fetus humanus primum in feminæ ventre sustentatur menstruo infirmo, postquam autem natus est, ei datur fortius nutrimentum, scilicet lac.¹⁶

Item ille Nicolaus Flamel (XVIi s.) :

Imbibe et tinge donec parvus puer sit fortis et robustus...¹⁷

Puer autem est nomen a philosophis usitatum ad *lapidem* suum significandum. Raimundus Lullius :

Noster lapis assimilatur... et assimilari debet creationi hominis...¹⁸

Item Hortulanus, commentator illius antiquissimæ *Tabulae smaragdinæ* :

Quemadmodum puer, sine nutrimento a nutrice accepto, numquam ad ætatem veniret, ita lapis noster numquam ad effectum veniret sine fermentatione terræ ; fermentum autem vocatur nutrimentum.¹⁹

Iterum Flamel :

... Licet intellegere per similitudinem pueri qui, postquam creatus est, nascitur perfectus, sed ad perfectionem operationis vel vitæ venire non potest nisi primum pauco lacte nutritur et postea ei paulatim plus datur, augendo prudenter nutrimentum eius. Ecce quæ facienda sunt in lapidem nostrum.²⁰

Nutritio fit quando creatura, quæ est extra ventrem, indiget nutrimento. Quod primum est lac, cum calore convenienti, ut id quod modo natum est paulatim confortetur et corroboretur, augendo nutrimentum pro ratione incrementi. Nam quo fortiora fiunt ossa, eo facilius puer venit ad iuuentum, ergo ad ætatem perfectam, fortis substantiæ et magnæ virtutis. Eodem modo operandum est in opere nostro... Quapropter lapis noster vocatus *filius natus*.²¹

Item Bernardus comes marchiæ Trevisanæ (XVIi vel XVIi s.) :

Animadvertisite, sicut oportet puer in matris ventre nutriatur nutrimento suo naturali, quod est sanguis menstrualis, ut crescat quantitate et qualitate fortiori, ita oportere lapis noster nutriatur pinguedine sua, ut dicit Aristoteles, et natura et substantia sua propria.²²

Iterum Lullius :

Quia natura tibi ostendit quod infans natus a papilla mamillarum non potest sumere cibum fortē, nisi per calorem matris primo digeratur, coquatur et subtilietur et in succum lactis convertatur, quod est cibus et proprium nutrimentum infantis. Et hoc requiritur, fili, generaliter in suis primis actionibus, ad nutriendum suos fetus, ad finem quod hoc, quod non poterat capere in suo cibo grossō, quod trahat et sugat in substantia lactis, quousque sit nutritus et possit sumere cibum grossum. Fili, tuum speculum sit generatio et nutritio infantis modici humanalis, ad creandum nostrum lapidem.²³

Item Morienus Romanus (qui dicitur VIII s̄æculi) de operationibus quæ ad lapidem conficiendum pertinent :

Prima earum est coitus ; secunda est conceptio ; tertia, prægnatio ; quarta, ortus ; quinta, nutrimentum. Si non fuerit ergo coitus, non erit conceptio ; et si non fuerit conceptio, non erit prægnatio ; et si non fuerit prægnatio, ortus ullo modo non sequetur. Hæc est enim huius dispositionis directio, quæ scilicet hominis creationi assimilatur.²⁴

Nonne Pindarus poeta scripsit creationem hominum (λαῶν) esse quasi lapidum (λάῶν) ? Nonne Vergilius ipse docet « duris in cautibus », id est saxis vel lapidis, illum puerum editum esse ?²⁶ ■■■



1. M. Ficinus, *De Arte chimica*, cap. xx. Cfr. Io. Iacobus Manetus, *Bibliotheca chemica curiosa*, II, Genevæ, 1702, p. 183.
 2. A. Gellius, *Noctes Atticæ*, IV, 16, 1.
 3. Ibid., XVIII, 14, 1.
 4. Vergilius, *Bucolica*, VI, 1-2.
 5. R. Lullius, *Testamentum, Theorica*, III. Cfr. *Theatrum chemicum*, IV, Argentorati, 1659-1661, p. 9.
 6. E. d'Hooghvorst, *Le Fil de Pénélope*, Parisiis, 1996, p. 101. Vide *Melissæ fasciculum* 70, p. 13.
 7. Vocabulum *iam*, quo decem vicibus in hoc carmine Poeta usus est, in ceteris fere carminibus bucolicis tantum singula vel binis ternisve vicibus apparet.
 8. Daniel apud Servium, *In Vergili Bucolicon librum commentarius*, IV, 50.
 9. Io. Baptista Marengus, *Palladis chymica arcana detecta*, Genuæ, 1678, p. 2.
 10. Servius, *op. cit.*, IV, 21.
 11. Id., *In Vergili Aeneidos librum sextum commentarius*, 127.
 12. *Turba philosophorum*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *Bibliothèque des philosophes chimiques*, I, 2003, p. 299. Verba cuidam Siro attribuuntur.
 13. Cfr. B. Trevisanus, *Le Livre de la philosophie naturelle des métaux*, II ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 484.
 14. R. Lullius, *Testamentum*, III, 38. Cfr. M. Pereira, B. Spaggiari, *Il « Testamentum » alchemico attribuito a Raimundo Lullo*, Florentiæ, 1999, p. 476.
 15. Kalid, *Liber trium verborum*, VI. Cfr. *Theatrum chemicum*, V, p. 188.
 16. *La Lumière sortant par soi-même des ténèbres*, II, *Commentaire, Chant premier*, 6. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, 2003, p. 249.
 17. *Le Livre de Nicolas Flamel*, II, *Quatrième Figure*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 414.
 18. R. Lullius, *Testamentum, Theorica*, LXXVI. Cfr. *Theatrum chemicum*, IV, *op. cit.*, p. 113.
 19. Hortulanus, *Commentaire de la Table d'émeraude*, V. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 89.
 20. N. Flamel, *Le Désir désiré, Cinquième Parole des philosophes*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 449.
 21. Ibid., *Sixième Parole des philosophes*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 462.
 22. B. Trevisanus, *La Parole délaissée, Deuxième Degré*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, I, p. 515.
 23. R. Lullius, *Testamentum*, III, 22. Cfr. M. Pereira, B. Spaggiari, *op. cit.*, p. 422.
 24. Morienus, *De Compositione alchemiae, Incipiunt Interrogationes...* Cfr. Io. Iacobus Manetus, *op. cit.*, I, Genevæ, 1702, p. 516.
 25. Cfr. Pindarus, *Hymni Olympianici*, IX, 45-46.
 26. Vergilius, *op. cit.*, VIII, 43-44.
- N.B. Imago frontispicii, qua hæc symbola nuntiatur, excerpta est e Georgiorum manuscripto sexti sæculi.

DE NEODARVINISMO NVM DOGMATISMVS ADHVC VIGEAT

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Censere solemus cogitandi libertatem nostris temporibus in Occidente totam esse, sed re vera non est. Dogmatismus videtur esse humanus morbus omnis ævi ; non desunt exempla.

Imprimis « dogmatismus » est definiendus. To δόγμα Græce significat « id quod videtur esse bonum », inde « opinionem, doctrinam philosophicam ». Huius vocabuli sensus decursu temporum propter christianismum mutatus est atque in linguis modernis significat « opinionem impositam, quam non licet in dubium vocare ». Hoc moderno sensu adhibeo vocabulum, quod est « dogmatismus ».

Fortasse putas dogmatismum locum non habere in scientiis naturalibus. Erras ! Darwinismus vel potius neodarvinismus in hac re mirum præbet exemplum.

Undevicesimo sæculo creatio mundi, qualis in Bibliis narratur, magis magisque in dubium vocatur. Reliquiæ extraordinariorum animalium, quorum genera iam diu sunt extincta, multis in locis inveniuntur. Baro Georgius Cuvier (1769-1832), qui mammalia fossilia descripsit, habetur creator palæontologiae et anatomiae comparativæ. Cuvier tamen semper respuit cogitationem « transformistarum », qui putare cœperant viventia animalium genera gradatim orta esse ex extinctis generibus, lenta transformatione.

Stephanus Geoffroy Saint-Hilaire (1772-1844), zoologiæ professor, profitebatur universa animalia eandem structuram fundamentalem habere, quo commento inducebatur theoria transformismi.

Eques Iohannes-Baptista de Lamarck (1744-1829) duos libros edidit, quibus titulus « Philosophia zoologica » (1809) et « Historia Naturalis animalium vertebris carentium » (1815-1822). Ibi novas cogitationes de animalium generum origine ita dilucide patefecit, ut habitus sit creator theoriæ transformismi ; nihil tamen sciebat de modo quo fiebant transformationes ; putabat, exempli gratia, collum camelopardalium longius factum esse quod in altioribus frondibus victum quærere deberent. Lamarck etiam est conditor theoriæ generationis spontaneæ.

Carolus Darwin (1809-1882) etiam fautor erat transformismi, at vix plura sciebat quam Lamarck de transformationum modo. Aliquid tamen novi attulit in libro « De origine specierum per selectionem naturalem » inscripto (1859) ; e suis enim observationibus colligebat viventium mutationes fieri selectione naturali ; nam intra singulas species varia capita inveniuntur ; inter hæc fit selectio propter competitionem ad vescendum et pariendum factam ; caput quoddam, cuius fortuita singularitas melius aptatur circumiectis, magis floret, frequentiore prolem habet atque paulatim novam

speciem generat.

Ambo, Lamarck et Darwin, putabant viventium species mutari, quod se circumiectis accommodare deberent ; iidem tamen inter se dissentiebant de modo, quo viventia se accommodarent. Lamarck putabat singula capita cuiusdam speciei necessitate compulsæ facultatem habere novos characteres acquirendi eosdemque ad prolem transmittendi ; hoc fieri propter quandam naturæ vim, quæ tenderet ad viventium complexitatem augendam. Darwin autem putabat mutationem in quadam specie fortuito oriri apud quoddam caput atque, si utilis esset, capiti mutato ita prodesse, ut ipsum eiusque proles floreret et propter selectionem naturalem magis magisque frequens fieret selectione naturali ; hoc modo novas species oriri.

Theoria transformismi, postea « evolutionis » votata, fundamentum biologicum non habuit ante vicesimum sæculum iniens, quo biologus Americanus Thomas Hunt Morgan suis experimentis demonstravit sedem hereditatis esse in cellularum chromosomibus. Tunc theoria mixta evolutionis et hereditatis in America elaborata est, quæ vocatur « neodarvinismus ». Nomen Darvini servatum est duabus de causis : primum quia mutationes, quæ, ut demonstratum erat, in chromosomatū genis fiunt, fortuito apparent ; deinde quia sola selectio naturalis utilium mutationum novas species inducit. Ad summam, specierum evolutio fit selectione naturali fortuitarum mutationum.

Ab eo tempore, neodarvinismus factus est dogma in scientiis naturalibus, quod in dubium vocare adhuc periculosissimum est. Quamquam iam diu multæ observationes neodarvinismum infirmant, si qui indagator de neodarvinismo dubitare ausus est, pro certo habeat sibi iam non licitum esse quicquam divulgare in præstantioribus periodicis scientificis. Theoria neodarvinismi facta est modus cogitandi, qui solus valet in omnibus biologiæ disciplinis : oportet fors sola agnoscatur ut motrum evolutionis. Timendæ enim sunt consequentiæ refutationis, cum fautores neodarvinismi nihil magis timeant quam teleologiam sive finalismum. Eadem de causa, sed inversa ratione, Inquisitio Ecclesiæ Romanæ ineunte septimo decimo sæculo Galileum Galileum condemnavit ; timendum enim erat ne inventa scientiarum naturalium traditum cogitandi modum in Bibliis nitentem everterent.

Ab initio tamen non defuerunt contradictores, sed cum in Occidente tacere cogerentur, voces solum ortæ sunt in Unione Sovietica ; hac de causa neodarvinismus campum politicum penetravit. Duo biologi Russi, Ivanus Mitchourine (1855-1935) et Trophimus Lyssenko (1898-1976), doctrinam Iohannis-Baptistæ de Lamarck

sibi assumpserunt eamque novissimis biologiæ inventis accommodaverunt. Mutationes, aiebant, quæ ad prolem transmittuntur, non solum fiunt fortuito in chromosomatibus, i.e. in nucleo cellulæ, sed etiam in cytoplasmate, i.e. extra nucleus ; ibi fiunt mutationes vi circumiectorum inductæ, quæ ad prolem transmittuntur. Stalinus, qui tunc temporis Unionem Sovieticam tyrannice regebat, decrevit doctrinam Lamarckianam, qua admittitur hereditas cytoplasmatica, solam docendam esse in scholis universitatibusque Sovieticis ; indagatores, qui neodarvinismo favebant, munere orbati sunt et nonnulli eorum in Sibiricos campos concentrationis missi sunt.

Cum ipse medio vicesimo sæculo studia medicinæ in universitate Bruxellensi facerem, opera Americani Morgan, qui demonstraverat sedem hereditatis esse in chromosomatibus, magni æstimabantur atque neodarvinismus docebatur. Una tamen erat exceptio : meus enim zoologiæ professor, Paulus Brien, qui communismum profitebatur atque Unionem Sovieticam admirabatur, magis æstimabat opera Russorum Mitchourine et Lyssenko ! Eodem tempore, in Foederatis Americæ Civitatibus, si quis de Lamarckiana hereditate cytoplasmatica disputabat, habebatur ut communista, i.e. ut hostis.

Multæ sunt observationes et experimenta, quæ neodarvinismo explicari non possunt. Anno 1988, exempli gratia, in quadam Cambriæ regione quam traiciunt lineæ electricæ altis malis metallicis sustentatæ, tres Angli biologi aliquid inexpectatum animadverterunt. Mali metallici ante 25 annos pigmento illiti erant, quod zincum continebat ; pigmento decursu annorum gradatim dissoluto et delapso, zincum accumulatum erat in solo sub malis. Biologi quinque plantarum species repeterunt, quæ sub singulis malis vigebant, quamvis extingui debuissent propter letalem zinci copiam, centies maiorem quam in circumiectis. Haæ igitur species nimietati zinci se accommodaverant, sed modo cum theoria neodarvinismi non congruenti. Nam, si re vera accommodatio pendet a fortuita utilique mutatione cuiusdam geni in una tantum planta, unde oriunda sit nova species, quomodo fit ut eadem mutatio simul facta sit sub singulis malis et apud quinque plantarum species ?

Flos plantæ orchidaceæ c.n. Ophrys eundem aspectum præbet ac femina falsi fuci, cuius non solum formam et colores sed etiam odorem imitatur ; hoc modo Ophrys falsum fucum marem attrahit, qui pollen spargendo florem fecundet. Talis mimetismus inter diversas species etiam vix explicari potest neodarvinismo ; atque multa huius generis exempla afferri possunt.

Ad concludendum, auscultemus Iohannem Sapp, scientiarum historiæ professorem in Eboracensi (*York*) universitate in Canada, qui duos libros magni momenti in lucem edidit¹. A vicesimi sæculi annis quinquagesimis, in Foederatis Americæ Civitatibus, periculosum erat de momento hereditatis cytoplasmaticæ vel symbiosis in viventium accommodatione tractare, quia statim habebaris Lamarckianus vel – peius – communista discipulus Sovietici Trophimi Lyssenko. Ipse, ut narrat, inquirebat in opera illorum clarorum biologorum, qui ante alterum bellum mundanum alias vias exploraverrunt quam eam neodarvinismi. Hac de causa Foederatas Civitates relinquere et se in Canadam recipere debuit. Rarissimi sunt indagatores, qui dogma prætermittere audeant ; inter paucas exceptions numeratur Carolus Woese, qui archæobacteria invenit ; est neolamarckianus et pro certo habet crescentem viventium complexitatem non selectione naturali fieri, sed aliqua definienda « autoevolutione ». Dolet Iohannes Sapp quod in Foederatarum Civitatum universitatibus biologi nimis anguste specializantur ; hoc modo solum technici formantur, qui non valebunt ignorantiae voragini superare, qua impeditur ne dogma tollatur. ■■■

1. *Beyond the Gene et Genesis, the Evolution of Biology*.

DE INTERPRETE CLEPTOMANIA AFFECTO

- in Latinum vertit Georgius Andreas Bergère -

De poetis¹ et scriptoribus inter nos colloquebamur, amicis olim nostris, qui, primum nobiscum vitæ quondam iter ingressi, deinde in via obstiterant, vestigiis nullis relicts. Interdum nomen cuiusdam ex iis emittebamus : « Quis adhuc eius meminit ? » Capita quatiebamus, dubie subridentes. In oculorum nostrorum speculo videre nobis videbamur faciem quamdam, cuius nos iam dudum oblitos esse putabamus, cursumque vitæ interruptum. « Quis de eo audivit ? Num adhuc vivit ? » Nemo respondebat, omnes silebant. In hoc silentio corona gloriæ eius crepitans audiri videbatur, tanquam folia in cœmeterio mortua. Tacebamus.

Nos diu tacueramus, cum subito unus nostrum Galli nomen profert.

- Miserum illum, inquit Cornelius Esti. Ego quidem eum iterum vidi, aliquot abhinc annis, septem iam fortasse vel octo, mæstissimis vero eius temporibus. Tunc enim ei acciderat propter fabulam quamdam inquisitoriam² casus mirabilis, qui ipse eiusmodi fabulis simillimus est, et dignissimus, inter omnia quæ vixi, qui cupiditatem cognoscendi summamque miserationem moveat.

Vos igitur quoque eum cognovistis, aliquatenus saltem. Iuvenis erat ille ingeniosus, præclarus, nasutus, diligens præterea atque excultus. Complures linguas callebat, Anglicam præsertim, quam ita bene sciebat, ut Princeps Cambrensis ipse ab eo didicisse diceretur. Quattuor annos vixerat in urbe Cantabrigia.

Sed ei erat vitium fatale. Num bibebat ?

Nequaquam, sed omnia quæ in manus eius incidebant arripere solebat. Furax erat tanquam pica. Essetne horologium marsupiale, soleæ, an tubus hypocausti ingens, id minime eius referebat. Nec ulla ei cura quanti constarent ea quæ furabatur, neque quam ampla essent vel ingentia. Sæpissime etiam harum rerum utilitatem ne videbat quidem. Voluptati tantum ei erat id facere quod non facere non poterat : furari. Nos quidem, proximi eius amici, omnem operam navabamus ut eum ad sapientiam revocaremus. Maxima cum amicitia eum hortabamur ut ad bonam mentem suam rediret. Eum obiurgabamus, ei minabamur. Ille nobiscum plane consentiebat. Nec desistebat polliceri se cum natura sua pugnaturum. Sed quamvis fortiter ratio eius resisteret, natura semper vincebat. Iterum atque iterum delinquebat.

Non semel ab ignotis publice convictus et ignomino vexatus est ; non semel in manifesto furto comprehensus ; nobis tum incredibiliter contendendum erat ut aliquo modo emendaremus quæ ex eius factis consequebantur. Sed die quodam in tramine Vindobonensi crumenam subripuit a mercatore

Moravo, qui illico eum comprehendit et custodibus publicis tradidit. A quibus manibus pedibusque vincitus Budapestinum reductus est.

Iterum conati sumus eum servare. Vos, qui scriptores estis, non ignoratis omnes res ex verbis quibus appellantur pendere, tam poematis cuiusdam æstimationem, quam hominis fatum. Demonstrare tentavimus eum non esse furem, sed « cleptomanem ». Cleptomanem enim plerumque appellamus aliquem quem novimus ; furem autem, quem non novimus. Iudices vero eum non noverant, itaque furem eum iudicarunt et carcere in duos annos multarunt.

Postquam liberatus est, die quodam nubilo mensis Decembris, paulo ante Natalicium diem, fame confectus et pannis obsitus, mane in domum meam irrumptit, genibus meis se advolvit, oratque me atque obtestatur, ne se deseram, ut auxilium sibi feram, ut se in munere aliquo consequendo adiuuem : nomen enim suum ulli libro inscribere omnino sibi non licere, antequam aliquantum temporis præteriret, sed nihil aliud se scire facere nisi scribere. Adii igitur editorem quemdam humanissimum cui eum commendavi, qui postero die fabulam inquisitoriam Anglicam Hungarice vertendam ei commisit. Quæ erat ex iis quæ digna sunt quæ inter purgamenta deiificantur, quibusque te pudet manus tuas inquinare. Non quidem legi, sed in aliam linguam verti, si usus venit, possunt, manibus tamen, ut aiunt, manicis indutis. Tituli fabulæ adhuc memini : *De arcans castelli Comitis Vitislavi*. Sed quid refert ? Mihi quidem iucundissimum erat quod aliquid eius causa facere potueram, ei autem, quod victimum sibi parare poterat. Itaque animo contento opus aggressus est. Tam diligenter laboravit ut, ante diem constitutam, tribus hebdomadis vix exactis, versionem a se scriptam editori tradiderit.

Quanta admiratio me incessit cum post aliquot dies telephonice ab editore certior factus sum, versionem ab eo quem commendaram effectam omnino nulli usui esse, se certe non paratum esse pro ea ne assem quidem solvere. Ego nihil intellegens rædam inscendi et ad editorem me vehi iussi.

Ille tacite scriptum illud in manus mihi tradidit quod amicus noster machina scriptoria perbelle conferat eiusque paginas numeris signaverat, fasciola etiam colligatas coloribus nationis nostræ tincta. Quæ omnia certe in eum optime quadrabant, nam, ut iam dixisse mihi videor, in omnibus quæ ad litteras pertinebant erat homo certissimus, curiosus ac religiosus. Cum legere textum incepi, lætitia exsultabam : sententiae dilucidæ, locutiones subtiles, glossemata ingeniose inventa, ubique reperiebantur, quibus istæ ineptiæ for-

tasse parum dignæ erant. Obstupefactus editorem rogo quidnam reprehendat. Tum librum Anglicum qui vertendus erat mihi in manum porrigit, nullo adhuc verbo emisso, deinde me incitat ut duos textus conferam. In quorum lectionem me immersi, et dimidiā horam peregi, oculis modo in librum, modo in versionem coniectis. Denique tandem animo vere consternatus surrexi et editori professus sum eum rectissime iudicasse.

Curnam? Nolite conari conjecturam facere. Tota via erratis: non erat enim alia fabula cuius versionem in suum textum inseruerat. Erat reipsa versio *Arcanorum castelli Comitis Vitislavi*, fluenter, artificiose atque, in partibus quibusdam, poetice confecta. Iterum erratis: nam nulla erat in eius versione depravatio sensus. Nimirum ille pariter callebat et Anglicam et Hungaricam linguam. Nolite amplius querere; nunquam audistis quicquam simile. Alia res enim ibi quasi claudicabant, longe alia res.

Ego ipse illud non animadvertis nisi sensim atque gradatim. Attende, quæso. Prima libri Angli sententia ita scripta erat: *Castellum antiquum, tot tantisque procellis superstes, per fenestras suas sex et triginta collucebat. In parte superiore, in primo tabulato, erat oculus saltatorius quem quattuor lychni crystallini pendentes fulgore profuso illustrabant*. Versio vero Hungarica ita legebatur: « Castellum antiquum, tot tantisque procellis superstes, per fenestras suas duodecim collucebat. In parte superiore, in primo tabulato, erat oculus saltatorius quem duo lychni pendentes fulgore profuso illustrabant ». Stupui equidem et legere perrexii. In tertia pagina auctor Anglus scripsérat: *Ironice subridens, Comes Vitislavus crumenam distentam prompsit, et in illos homines coniecit summam pecuniae quam rogarant: mille et quingentas libras Anglicas*. Scriptor vero Hungarus ita verterat: « Ironice subridens Comes Vitislavus crumenam prompsit et in illos homines coniecit summam pecuniae quam rogarant: centum et quinquaginta libras Anglicas ». Mihi incidit suspicio atrocissima quæ, eheu, paucis minutis in tristissimam rei cognitionem mutata est. Postea enim in fine paginae tertiae libri Angli lego hæc: *Comitissa Eleonora in oeci saltatorii angulo sedebat, veste vespertina induta, gentilicio et antiquo auro ornata: erat in capite eius diademam adamantibus insertum quod ei ab abavia, Principis Electoris Germani coniuge, hereditate venerat; in eius pectore cycnei candoris, monile ex margaritis genuinum opalorum nitorem referentibus; digitos vero suos vix movere poterat, adeo multis anulis onerati erant, gemmis, sappiris, smaragdis ornatis... Illam descriptionem tam artificiose coloratam comperi, non sine summa*

admiratione, in Hungarica versione ita expressam esse: « Comitissa Eleonora in oeci saltatorii angulo sedebat, veste vespertina induta... » Nihil amplius. Diadema adamantibus insertum, monile ex margaritis, annuli gemmis, sappiris, smaragdis ornati, omnia illa deerant.

Intellegitisne quid collega noster infortunatus fecerit, ille scriptor qui tamen sorte meliore tam dignus erat? Simpliciter et candide furatus erat Comitissæ Eleonoræ aurum gentilicium, sicut spoliaverat, cum levitate haud minus venia indigna, Comitem Vitislavum, virum suavissimum, mille quingentis libris Anglicis, centum quingentis solum relictis, et subripuerat duos ex quattuor lychnis crystallinis pendentibus in oco saltatorio, et furtim abstulerat viginti quattuor ex triginta sex fenestrīs castelli antiqui tot tantisque procellis superstis. Vertigine quadam corripiebar. Sed ad animi mei consternationem cumulus accessit cum comperi, omni dubitatione sublata, rem ipsam a principio usque ad finem eius operis fatali quadam constantia inveniri. Interpres enim, quemcumque locum stilo suo attigerat, personis fabulæ detrimentum attulerat, et id cum eas vix cognoverat et, nulla habita ratione supellexne esset an ædificii pars, in res privatas invaserat, violato iure possessionis indubitate et quasi sacro. Quod diversis modis efficiebat. Plerumque enim res pretiosæ, furtim raptim, evanuerant. De illis tapetibus, arcis, argenteis utensilibus quibus scriptor Anglus usus erat quo sublimior stilus suus videretur, nullam mentionem in versione Hungarica inveniebam. In aliis locis vero unam aut duas partes tantum rerum subripuerat. Si quis, puta, quinque vidulos transportandos in traminis diætam servo suo commiserat, duos tantummodo commemorabat ille, et tres reliquos perfide silentio præterminabat. Mihi quidem, utcumque res se habebat, omnium gravissimum visum est – nam indicium certissimum erat malæ fidei et ignaviæ –, quod sæpius siebat ut metalla pretiosa et gemmas cum rebus vilibus nulliusque pretii commutaret, platinum cum ferro, aurum cum cupro, adamantem genuinum cum falso vel cum vitreis.

Editori valedixi demisso capite. Sed curiositate inductus librum Anglicum eiusque versionem Hungaricam ab eo petivi, et illius fabulæ inquisitoriae ænigmata sollicitus, in res subreptas inquirere domi perrexii, quas accurate recensere cupiebam. A prima hora postmeridiana usque ad sextam et dimidiā matutinam posteri diei sine ulla intermissione laboravi. In summa comperi collegam nostrum in amentia sua, dum interpretatur, cum auctoris Angli detimento, contra legem et sine ullius permisso, sibi arrogasse: unum milionem quingenta undeoctoginta milia ducen-

tas unam et quinquaginta (1.579.251) libras Anglicas, centum septuaginta septem (177) anulos aureos, non-genta quadraginta septem (947) monilia ex margaritis, centum unum et octoginta (181) horologia marsupialia, trecenta novem (309) paria inaurium, quadrinquentos triginta quinque (435) vidulos, ut omittam prædia, silvas et pascua, castella ducalia et baronalia, quisquiliusque alias pusillas, mucinnia, dentiscalpia, campanellas, quas enumerare longum est et fortasse inutile.

Ubi illa bona mobilia et immobilia deposuerat, quæ tamen nusquam erant nisi in chartis, in imaginum regno ; quid sibi proposuerat cum ea furabatur ? Arduum esset in tales res introspicere ; itaque longius non progrediar. Sed tum certe mihi persuasum erat

eum cupiditati suæ pravæ aut morbo suo servire non desisiisse, nullam spem de sanatione eius exstare, eum denique dignum non esse quem hominum proborum societas sustentaret. Indignatione mea honesta motus, patrocinium eius repudiavi. Fato suo eum tradidi. Postea de eo nihil audivi. ■

1. Hanc fabellam (ed. Viviane Hamy, sept. 2002) a scriptore Hungaro Dezsö KOSZTOLÁNYI narratam, verterunt ex lingua Hungarica in linguam Francogallicam Ádám PÉTER et Maurice REGNAULT (a. 2002) et in Latinum ex Francogallico Georgius Andreas BERGERE, Parisinus.

2. Angl. *detective-story*, Francog. *roman policier*.

DOMVS LATINA MVNERE FVNCTA

Die 16 m. Decembris a. 1989, coram quinquaginta fere Latinistis undique oriundis, Bruxellis sollemniter inauguratus est cœcus conventibus Latinis dicatus, cui nomen datum est « Domus Latina ». Fuit quidem parvula domus, at munere suo, Gai Licoppe beneficio, præstanter functa est : ibi enim habitæ sunt sessiones circuli Bruxellensis, ibi discipulis adultisque præbita est viva lingua Latinæ institutio, ibi magni homines acroases Latine fecerunt, ibi non pauci, etiam ex altera orbis parte oriundi, vivam Latinitatem invenerunt. Ibi etiam anno 1991, cum ultimo temporis momento nuntiaretur seminarium Societatis Latinæ in solito Belgici litoris deversorio non iam accipi, servata est navis, ut ita dicam, atque seminarium tamen haberi potuit. Inde etiam, eodem anno, grex Latinistarum profectus est ad Lyciam lustrandam, atque nonnulli adhuc recordantur se hora tertia matutina hac occasione illuc primum venisse, semisopitos, nec solum corroborantem cafeam, sed etiam novos amicos ibi invenisse. ¶ Hodie autem hoc grapheum prostat venale et nobis est relinquendum. Quod cum in ultima sessione ibi habita nuntiaremus, particeps quidam recte ac merito exclamavit : « Hic felices fuimus ! » ¶ Tamen non est causa, cur in futurum circulus Bruxellensis minus sit felix ; nam rector Musei Domus Erasmianæ nos perhumaniter

invitavit, ut in pulcherrima domo, in qua magnus Erasmus Roterodamus anno 1521 vixit menses nonnullos, sessiones nostras haberemus. Ibi ergo inter veteres libros, eximias tabulas pictas et horti philosophici raras plantas Latinæ iterum sonabunt sermocinationes. ■

F.D.



Die 16 m. Dec. a. 1989 inter inaugurationem Domus Latinæ.

In hoc fasciculo !

Europa et America (II) [G. Licoppe] p. 1

In Academia Latinitati Fovendæ p. 2

Beatrix et eius amici (I) [F. Deraedt] p. 4

O Teubneriana Latinitas ! [Th. Sacré] p. 6

De quarto carmine bucolico Vergiliiano (I) [H. van Kasteel] p. 9

De neodarwinismo [G. Licoppe] p. 12

De interprete cleptomania affecto [G.A. Bergère] p. 14

Domus Latina munere functa p. 16

LATINE LOQVI...



SYMPOSIVM SALLENTINVM

instituet Melissa
d. 24-31 m. Iulii a. 2005

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in Apulia instituet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Sallentum autem, cum situm sit in infima orientalius extremitate Italiæ, auras et Orientis et Occidentis alternatim accepit. Quare thema generale acroasium et disputationum, quod proponimus, est « De rationibus inter Occidentem et Orientem, a decimo saeculo usque ad duodecimimum saeculum ».

Pretium

- *inscriptionis* :

- *adultis* : 50 eur.

- *discipulis et studentibus* : 25 eur.

- *pernoctationis* :

- *cum ientaculo, prandio et cena* : 45 eur

- *cum ientaculo et cena (sine prandio)* : 40 eur

Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa. Accessus facilis et autocineto et aeroplano et tramine ferrivario.

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 24-30 m. Iulii.
¶ dominique. viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Iulii die 29 usque ad 6 mensis Augusti. ¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 24 usque per diem 29 m. Iunii. ¶ http://www.wenval.cc/boreoccidentales/boreo_latin/conventiculum.asp

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michælis Ferigoletensis, 28 m. Iulii - 4 m. Augusti. ¶ I. Cl. Champeau, 121, chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières et M. A. Avich, 21 b, rue Sainte Anne de Baraban, F-06900 Lyon .

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 24-30 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretoliensi : 7-13 m. Augusti. ¶ Societas Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere. D. 24-30 m. Iulii.

¶ www.septimanalatina.org